



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. De auctoritate pallij, sive quæ potestas per illud conferatur, & an ad alios transferri possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

mnia; nec quando privatim tantum celebrat; etiam si dies sint solemnes &c. Quibus autem diebus uti Pallio possit inter Missarum solemniam, intra Ecclesiam celebrans *Gloss.* enumerat in *c. cit. ad honorem V. eod.* Alia tamen plura concedere potest etiam Pontifex, à cuius dispositione, aut obtento privilegio, usus Pallii dependet.

## §. III.

*De Auctoritate Pallii, siue que potest per illud conferatur, & an ad alios transferri possit?*

Conferitur cum Pallio plenitudo Archiepiscopalis officii Archiepiscopo, ut possit post acceptum Pallium omnes actus Archiepiscopalis dignitatis, tam ordinis quàm jurisdictionis exercere in sua Provincia, & quamvis ad substantiam collationis ordinum v. g. aut aliarum Episcopalium functionum, Pallium non requi-

ratur, ita ut rogatus ab alio Episcopo alterius Provincie ad Ordines v. g. conferendos, conferre quidem ordines possit, Pallio tamen extra suam Provinciam uti non possit sine speciali privilegio, licet tamen in sua Provincia talia non faciet, quæ inter Missarum solemniam fieri debent sine Pallio. Transferre tamen acceptum pro hac Provincia v. g. Pallium non potest, si ad alium Archiepiscopatum à Pontifice transferatur, sed novum pro novo Episcopatu petere debet, & illud quidem, olim secum sepeliendum conservare, uti tamen eo in novo Archiepiscopatu non potest, nec potest alii Archiepiscopo commodare illud, nec ad suum successorem moriens illud transmittere, cum sit Personale quid, certæ personæ concessum, cum restrictione ad locum, ut ad eò, prout respondet Pontifex in *c. ad hoc 2. h. t.* Personam non egrediatur, sed cum ea sepeliri debeat. Attendenda tamen etiam in his loci consuetudo.

T I T V L V S I X.  
DE RENUNTIATIONE.

## SECTIO I.

*De renuntiatione in genere, ejusque divisione.*

*Renuntiatio, prout hic de ea loquimur, aliud non est, quàm remissio, seu resignatio, seu cessio juris, quod quis habet in beneficio Ecclesiastico; duplex autem est hæc renuntiatio, tacita alia, alia expressa.*

## §. I.

*De tacita beneficiorum renuntiatione.*

Renunciatio tacita est, quæ ipso jure fieri censetur, absque ullis verbis expressis, & juxta juris interpretationem, ex actu directè contrario retentioni beneficii per consequentiam colligitur; prout fieri solet, si beneficiatus matrimonium contrahat, *c. 1. & 3. de Cleri. conjug.* si solemniter profiteatur religionem *c. 4.*

M 3

de